

Petrus de Vinea

*Ep. V 130 (Licet a primis  
parentibus in uos fidei transfusae...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 130 (Licet a primis  
parentibus in uos fidei transfusae...)*

1252 (?)

Item commendat Panormitanos de fidelitate et regratiatur eis de oblata pecunia.

1. Licet a primis parentibus in uos fidei transfusae sinceritas erga clarae memoriae dominum patrem nostrum, laudabilibus probata seruitiis et usque ad tempus felicitis nostri continuata regiminis, ad aures nostras tam operum exhibitione uestrorum quam aliquorum relatibus et ipsius famae propalatione peruenerit, nuper tamen ex insinuatione P. Rufi, de Calabria comitis et regni Syciliae marescalci, dilecti alumni, fidelis et familiaris nostri, coram nostrae serenitatis aspectu de feruore uestrae deuotionis et fidei, post curam primi cultoris subtractam uobis fataliter, illud infallibiliter intuemur, quod de uobis quasi per speculum in enigmate uidebatur. 2. Scimus enim ex testimonio suo, qualiter ipsum ad uos pro nostris seruitiis uenientem in alacritate et reuerentia, ultra fidei debitum, ob honorem nostri culminis recepistis. 3. Et ad faciendam sibi pro parte curiae nostrae prouisionem de certa pecuniae quantitate, nulla ipsius requisitione preambula sed solo fidelitatis ardore et motu gratuita uoluntatis inducti, non contenti promissione uerbali, sed procedentes ad actum et uoluntatem uerbis expositam opere comprobantes, quantitatem promissam, collatione inter uos habita, colligere incepistis eidem comiti pro parte curiae nostrae assignandam. 4. O generosa planta, fructifera, quae carens ad tempus plantatoris industria uentorum impulsu non timuit nec quassationis passa est detrimentum! 5. Et sic grata maturitate placidos nobis fructus adducit, quod fructuosa nostris presentata primordiis fluentis gratitudinis copiam affectat, et sub cultore ydoneo ipsius fulta nutricibus reuiuiscat. 6.

Gaudemus itaque in uobis, et ad congaudendum uos nobis inducimus: quod sicut curiae nostrae oportunitates instantes tam uotiuo quam gratuito preuenistis obsequio, sic beneficia nostra, quae benemeriti a nobis fiducialiter expectant, deuotionem uestram inter alios fideles nostros specialius prosequantur.